



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid per nomen Dei debeamus intelligere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

*ALTERUM PRAECE-*  
ptum Dei, Non assumes nomen  
Dei tui &c.

## CAPVT IIII.

## ARGVMENTA.

1. *Quid per nomen Dei debeamus intelligere.*
2. *Quando rectè utimur nomine Dei, & quando in vānum & malè.*
3. *Quomodo puniantur trāsgressores huius praeccepti.*

1. **N**otandum quòd nomen Dei hīc non solum accipitur pro nominatione personarum Dei, vt dum dico, Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus, aut Christus Iesus Dominus noster, sed pro omni eo quod dicitur de Deo, aut dici debet: sicut in communi dici solet, Hic homo bonum habet nomen id est, multa bona dicuntur de illo: è diuerso, Hic homo habet malum nomen, id est, multa mala feruntur de illo: ita etiam dicitur nomen Dei quicquid de illo boni dicitur, nempe quòd sit iustus, verax, misericors, mitis, pius, &c. sicut scriptura plena est. Psal. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Docet igitur hoc praecceptū, quomodò nos verbis exhibeamus corā Deo nempe ne nomine Dei, & quicquid de Deo dicitur utamur in vana & inutilia, sed solum tunc utemur cum laus & honor Dei requirit & vtilitas proximi vt omnes ex verbis nostris notent, quòd de DEO cordibus nostris magnificè sentiamus, cumque diligamus & timeamus, quòd vel sic cæteri homines incitentur ad honorandum nomen Dei. Psalmo in  
Afoli

Afoli  
mini.  
Dei,  
morte  
D  
menti  
sunt n  
ceptu  
tio, &  
Inuoc  
fit De  
uocan  
stum:  
tion  
cation  
ego ex  
pam  
dit hu  
aut ra  
ergò  
honor  
cultu  
Domi  
tus ex  
extern  
benefa  
tur pr  
filium  
predic  
gratia  
& Ger  
credit  
git De  
cidun  
rati tu  
DEI

A solis ortu vsq; ad occasum, laudabile nomen Domini. Si autem leuiter & in vanum vtamur nomine Dei, tunc cæteri scandalizantur, & tales digni sunt morte, Matth. 18.

Deindè sicut cultus interni sunt præcipui motus mentis in Deum, Fides, dilectio, timor perfectus, sic sunt nunc præcipui cultus exteriores, quos hoc præceptum exigit: inuocatio, gratiarum actio, glorificatio, & in his cultibus rectè vtimur nomine Domini. Inuocatio oritur ex fide: quia enim credimus quòd sit Deus, quòd exaudiat, quòd velit saluare, ideo inuocandus est, nã hæc certò vult facere propter Christum: Qui ergò cõfugiunt ad incantationes, benedictiones vetularum, &c. illi peccant cõtra hanc inuocationem. Sic enim dicit Deus: Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eũ, & glorificabo eũ, Psal. 90. Qui ergò nõ credit huic verbo Dei, peccat. Peccat quoq; qui nunquã aut rarò orant, nã in oratione inuocatur Deus. Illi ergò cum Deũ spolient suo honore, peccat grauius: honoratur em̄ & inuocatur Deus in oratione, & hũc cultum maximè exigit. Rectè igitur vtimur nomine Domini, quãdò orando ipsum inuocamus. Alter cultus exterior Dei, est gratiarum actio. Est autem illa externa confessio, qua confitemur Deum nostrum benefactorem esse & saluatorem: atque hĩc includitur prædicatio Euangelij Dei, quatenus nos vult per filium suum saluare, Ioan. 3. nam totum Euangelium prædicat & offert nobis Dei bonitatẽ. Deindè est etiã gratiarum actio, cõfessio nominis Dei coram Iudæis & Gentibus ac tyrannis & hereticis. Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, &c. Et hanc confessionem exigit Deus Matth. 10. Nolite timere eos qui corpus occidunt. Ibidem & Luc, 12. Capilli capitis vestri numerati sunt. ideo debemus liberè & constanter verbum DEI & fidem publicè profiteri, vt omnes homines ad fi-

ad fi.

ad fidem veniant, alioqui damnabimur. Luc. 11. Qui me confessus fuerit coram hominibus &c. Tertius cultus exterior est glorificatio nominis Dei, ne illi committamus blasphemias & scandala, ac faciamus Deum licitorem vt perdat, qui vult omnes homines saluos fieri, 1 Timot. 2. ideo debemus nomen Dei laudare & glorificare, vt sæpè admonet Dauid Psal. 113. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, non dicit, blasphemate per illum, & Psalm. 15. Bene dicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Ipsi sunt præcipui cultus exteriores Dei, inuocatio, gratiarum actio & glorificatio: hisce cultibus rectè colitur Deus foris, ad illum referuntur omnia externa, id est, ritus, cæremoniæ, cantus, Organæ &c. ad glorificationem nominis Dei.

2.

**I. Modus  
nominis  
Dei in va-  
num assu-  
mendi.**

Nomen Dei in vanum assumitur primò, quando aliquid Deus nominatur, aut sic colitur & honoratur, quod tamen Deus non est, sicut olim gètes fecerunt, quæ Solem, Lunā, Stellæ, Homines, Reges, Tyrannos, Deos nominârunt: quod etiâ prohibet Moyses Deut. 4. Sic filij Israël nominârunt vitulum aureum deum suum, adorantes & dicentes: hic est deus qui eduxit nos de terra Aegypti, Exo. 32. Contra hoc præcepit Deus per Moysen, vt si quis hominum faceret alium Deum aut adoraret vel nominaret, quam verum Deum, vt is moriatur: si ciuitas, cõburatur & omnia deuasentur, Deuteron. 15. Deindè, quando quis conuiciatur, maledicit, & blasphematur per nomen Dei, id quod est commune & graue vitium: in nomine enim Dei debèt incuruari omnia genera, Philip. secūdo, ideo peiores sunt ipso Diabolo omnes tales conuiciatores. Nam diabolus timet sibi de nomine Dei, & inclinatur: nec ipse audet maledicere per nomen Dei. De illis igitur dicit propheta Psalmo 5. Guttur eorum sepulchrum patens: id est, sicut de aperto sepulchro fœtor scætès, indicat ibi esse putridam quippiam,